

1509 bus & plebe ad bellum idonea civitate , magnam ea res perturbationem afferebat : quam tamen sublevabat , Patres certiores esse factos , aquam Silis fluminis , quod non longe ab oppido multis fontibus largiter ex terra exit , posse munitionibus adeo sustineri , ut quingentos eoque amplius circa oppidum passus majori ex parte ager sub aqua redigatur , ne hostibus ad murum accedendi facultas sit : easque munitiones prope confectas esse . Maximilianus autem , sive id nunquam in animum induxerit , sive desperarit posse ad exitum perduci : exercitus sui partem ad eam agri Patavini regionem , quæ ad Fossam Clodium mareque pertinet , fertilissimam scilicet pecorisque plenissimam , quod sua illo reliquarum regionum homines armenta contulerant , præ datum misit . qua ex re tanta agrestium multitudine cum conjugibus ac liberis , cumque ea , quam subito abripere secumque ferre supellectilem potuerunt , missis ad eos publice naviculis , fuga se in urbem contulit , loca ut publica omnia porticusque ac fana & privatæ domus plurimæ ea turba conplerentur . Iis Senatus reipublicæ pecunia commeatum dari jussit , quoad hostium discessu liberum illis reverti domum fuit .

*Patavina  
oppugnatio.*

Post hæc ad Medoaci munitionem , quæ cymbæ ad urbem transmittuntur , omnesque ad illud vadorum urbano- rum latus hostes plurimas incursionses multis & illatis & acceptis detrimentis cum fecissent , castra quam proxime potuerunt ad muros Patavinos a septentrionibus posuerunt , & tormentis oppidum quatere verberareque cœperunt : tametsi a militibus reipublicæ haud parva cum clade repulsi saepe fuerint . Maximilianus ipse in templo Cartusiano , quod templum oppidani non diruerant , medio fere castrorum spatio consedit . Erat ab ea regione portæ oppidi proxima turris terrea muro conjuncta , sed in agrum exorrecta , quantum ejus spatium in latitudinem patebat , pedes prope quatercentum : quam magna celeritate ac diligentia imperator legatique excitari mandaverant , ut effet toti ei lateri contra hostium exercitum munitio ad eorum impetus repellendos : ad eamque conficiendam non agrestes